

The Works of Lancelot Andrewes
Sometime Bishop of Winchester.

Vol. IX.

Opuscula Quædam Posthuma.
Oxford: John Henry Parker, 1854.
Library of Anglo-Catholic Theology

RESPONSIO EPISCOPI AD SECUNDAM EPISTOLAM.

NONDUM abierat veredarius, hærebat hic ad diem unum atque alterum, atque apud eum interiores istæ literæ meæ, sic, ut sunt, obsignatæ: cum ecce alteras tuas accipio, perferente eas Domino Beechero ex-Agente Regio, nuper a vobis reverso. Repeto statim priores meas, nec recludo takem, sed, sic ut erant, hasce illis superinduco. Nolui enim committere, ut bis idem peccarem; quin potius, ut tarditatem prioris responsi hujus celeritate compensarem. Accipies igitur, cum primis, secundus has: gratiasque una meas de geminis tuis: sed δευτεροπρωτους¹ quasi, nempe in secundis his primas jam; in primis illis secundas (ut se res habet). Gratis (inquam) tum de libro illo tuo jampridem misso: cum de posteriore hoc, propediem (ut spes est) mittendo. Negabat enim D. Beecherus vel compactum adhuc (cum illinc discederet), vel certe ad se delatum: ac eo nomine accessit ad me serius: sed jussit porro sperare me nec frustra fore.

De *mitigando* in te *Regis animo*, non est (mihi crede) quod labores. Nihil habet animus Ejus, quod mitigare opus sit: habet forte, unde magis adhuc magisque conciliare possis; facturus operæ pretium si id feceris. Feceris autem, si viam ineas, quam a nemine mortalium melius discas, quam ab Ipso. Ego vero libens agnosco æquiorem adhuc multo futurum, si te sineret Ecclesia vestra; utinam autem sineret. Illa, ut videtur, personarum vitia ad res transtulit, rerumque adeo legitimum usum propter abusum sustulit, paulatim hoc a vobis dedocenda. Cui dum tu morem gerere vis, morem ipse animo tuo non geris. Nam de animo tuo ex calamo conjecturam facio. Adeo enim in nos propensus calamus tuus, ut scripserit (credo autem, te non invito), nostrum Episcoporum Ordinem rem esse receptam in Ecclesia inde *a saeculo Apostolorum*. Recte autem hoc scripserat calamus: Id tu litura scilicet induxisti, (nempe το Apostolorum), ac vicem ejus *Apostolis proximo* reposuisti. Credo autem hoc in gratiam Ecclesiæ vestræ. Ac vero illud quidem quod reposuisti (*Apostolis*

¹ Secundo-primas.

proximo:) Sed et illud non minus verum, quod obduxisti. Fuit enim Ordo ille non a sæculo modo Apostolis proximo; sed et ab ipso adeo *sæculo Apostolorum*; aut nos tota fallit antiquitas, aut nulla superset historia Ecclesiæ fide digna. Totam antiquitatem a nobis esse nec ipse negas; an vero Ecclesiæ jam ulli plus deferendum, quam antiquitati toti, ipse videris. Si te scio, quam magis hæc ad te libere ingenueque scripsero, tam me magis amabis; ego te itidem paria mecum in hoc facientem. Audi ergo: nobis hoc satis non est, si non aspernetur quis nostram Ecclesiæ politiam, ut rem vitiosam aut improbam. Id enim agimus, ut palam sit, et in confesso, eam esse apud nos Politumque Ecclesiæ priscæ, sive (ut tu concedes) *Apostolis proximæ*, sive (ut semel scripseras, et nos contendimus) ipsius *Apostolicæ*. Quin hic idem nobiscum sentias, nullus dubito: quod sentis, si per Ecclesiam vestram potes præ te ferre, rem nobis pergratam feceris: si non potes, rem non ingratam, si nostra igitur dehinc jam missa feceris. Quam enim viam ingressus es, vix erit ut et tuis placere possis, et nostris non displicere. Nex tamen si nostra *divini juris* sit, inde sequitur, vel quod *sine ea salus non sit*, vel quod stare non posit Ecclesia. Cæcus sit, qui non videat stantes sine ea Ecclesias: Ferreus sit, qui salutem eis neget. Nos non sumus illi ferrei: latum inter ista discriminem ponius. Potest abesse aliquid quod divini juris sit, (in exteriore quidem regimine,) ut tamen substet salus: nec tu igitur *addices Tartaro, aut sententiam damnationis feres in gregem tuum*: Non est hoc damnare vestram Ecclesiam, ad formam aliam quæ toti antiquitati magis placuit, (id est) ad nostram revocare; sed, ubi Deus dederit, et res vestræ ferent. De hoc si conveniat inter nos, cætera concordes crimus. Optamus autem non *sartam integrumque concordiam*, sed integer integrum, absque sartura omni: quam et tibi in votes esse non dubitamus. Si quid porro superset, remitto te ad priores meas, (negotiosi enim hic jam sumus.) Quas æquitati tuæ commendando. Commendo autem te meis; meque adeo tuis ad Deum precibus commendatum cupio. Bene vale. Londini, pridie Idus Decemb. 1618.
[1619?]